

quoque; essentiam, per quam est, consequitur: & diversitatem,
per quam non est id, quod aliud est, neque; aliud est hoc, quod
ipsum est. *Iterum:* Quâ ratione ex Materia & Formâ fiat
unum, suprâ declarabamus ex principiis Philosophi. Quippe
alteram potentiam esse, aptam perfici: alteram actum, perficere aptum. *Paulò post:* Adeò divina res forma est, ut cum
sit substantia, aliam totam sui impleat substantiam ita, ut ex
utrâque; fiat unum. Quare ulterior disquisitio morosi & sata-
gentis animi est. Humanæ enim sapientiæ pars est, quædam
æquo animo nescire velle.

§. 4. *Causas externas esse, quæ corporis naturalis essen-
tiam non ingrediuntur, sed extrinsecus illud constituunt, con-
stat ex eo, quia corpus naturale nec à seipso est, nec per seipsum,
Habet ergò causam efficientem, habet causam finalem. Quæ
causæ essentiam corporis naturalis non ingrediuntur. Omne
Efficiens est extra suum effectum, est extra essentiam sui effe-
cti, Parens Filii sui essentiam non ingreditur, sed extra Filii
sui essentiam manet, aliàs Parens non tam Filium generaret,
quàm in Filium transmutaretur. Non ingreditur Architectus
essentiam domûs, quemadmodum nec DEUS essentiam mun-
di. Finis movet efficientem, ne temerè & frustra agat, sed
nec hic quidem essentiam corporis naturalis ingreditur. Ut
enim corpus naturale non ex efficiente, sed ab eo, ita quoque
non ex fine sed propter finem est. Nec putandum, verba
in descriptione causarum externarum, quibus hæc, *effectum ex-
trinsecus constituere*, exprimitur superflua forte esse nec
ad rem. Enimverò ponendum aliquid erat, non tantum ne-
gandum, cum nuda negatio rationem causæ externæ non offe-
rat. Falsum insuper est, finem extrinsecè non constituere
corpus, quia enim quatuor sunt essendi principia, hæc omnia
rem constituunt. Corpus naturale constituitur ex materia, per
formam, ab efficiente, propter finem. Et eo ipso, quo finis
est id, cuius gratiâ aliquid in esse constituitur, extrinsecè con-
stituere dicitur. Ipsum verò nomen constitutionis primò qui-
dem internis, secundò tamen externis tribuitur causis. Re-
ctissimè *B. Sperlingius in Defens. Synops. Phys. & alibi:* Quid
B quid*